

Q. D. B. V.
DISQUISITIO PHILOSOPHICA,

De

**CONTINGENTIA
RERUM,**

Quam,

Ex consensu amplissima facultatis Philosophicae, in Regia Aca-
demia Aboensi,

AUCTOR
JOHAN. BART. ERVAST,

Ibidem Mag. Docens:

Respondente

HENRICO ROERING,

Ostroborn.

Publicæ honorum censuræ submitte,
die 6. m. Maji Anni: 1735.

loco horisque consvetis.

A B O Æ,
Excud. Joh. Kämpe Reg. Acad. Typ.

CONSPECTUS.

§. I.

Differentiam inter contingentia & necessaria monstrat.

§. II.

Hæc in principio Contradictionis, illa vero sufficientis rationis fundari, asserit.

§. III.

De essentiis rerum, utrum necessaria, an vero arbitrariae sint, agit.

§. IV.

Contingentia quaecunque determinato existere & esse modo, ostendit.

§. V.

Dari Nexum rerum universalem, in principio sufficientis rationis fundatum, statuit.

§. VI.

Illum vero non destruere contingentiam, nec fatalitati favere probat.

§. VII.


Libertatem voluntatis humana, nec ex nexu rerum universali, nec principio sufficientis rationis; approbata, aliquid detrimenti pati, indicat.

§. VIII.

De contingentia mundi agit.

§. IX.

De modis & argumentis, quibus ad demonstrandam existentiam divinam uti solent philosophi, pauca tradit.



§. I.

UTi res omnes creatæ sive systema mundanum in generali suo ambitu consideratum, summæ potentiæ & virium infinitarum apertissimus testis & præco est; ita nexus & cohærentia rerum in particulari consideratarum, sapientiam non minorem summam scilicet, ad oculum ostendit & demonstrat. Hoc tam amicum & sapiens cunctorum connubium, modo sibi convenienti videndi & intelligendi vi, esse præditum hominem, ipsa loquitur & docet experientia. Quæ veritatum nexus perspiciendi vis sive ratio, dum circa sua versatur objecta, ea istius naturæ in genere esse animadvertit, ut, vel absolutæ sint necessitatis & contrarium respuant, vel ad utrumque oppositorum se indifferenter referant adeoque mutabilia sint. *Priora*, quæ sub nomine *necessariorum* venire solent, & absolute talia dicuntur, istud invariabilitatis privilegium solum respectu possibilitatis & essentiæ possident; in essentia quippe sola, si tantum ab ea discesseris quæ & existentiam includit, qualis solius Dei est, non vero in ~~hac~~ existentia, omnis quærenda & ponenda esset necessitas.

Posteriora, quorum contrarium quum nullam involvit contradictionem, nec unicum sui generis possibile sunt, prioribus contrariam habent naturam, hoc est, *contingentia* sunt & dicuntur. sed ut ex varia extensionis sive partium modificatione, varia & diversa oritur figura; ita propter varias considerationes & conditiones, rei vel actioni, iatrinseca sua constitutione mutabili, diversi quid superinducitur, hoc est, *necessitati* quæ *hypothetica* audit, subjicitur. Istiusmodi vero conditiones & considerationes, prout respiciunt actionem futuram, præsentem aut præteritam, *antecedentes*, *concomitantes*, & *consequentes* dicuntur.

§. II.

Inter homines corrupti cerebri jure referendum censemus, qui dum objecti in organa agentis habet sensationem, eandem quasi nulla esset, se experiri negat, h. e. eodem quo aliquid ponit & admittit, idem quasi nihil & non admissum improbat & evertit; unde *Principium Contradictionis*, quale & quantæ sit necessitatis, quivis puto videt. Rursus positionem quamvis absque ratione veram esse admittere, h. e. nihilum pro fundamento venditare, unde intelligi queat quare aliquid potius sit quam non sit, pro sanæ mentis iudicio haberi nequit, quare, quid de *Principio sufficientis Rationis* (a) sit statuendum, patet. *Contingentia*, quibus modus existendi contrarius & diversus ab alio quocunque, non repugnat, in posteriori; *absolutum vero & necessarium*, in priori sive contradictionis principio, fundari notissimum est.

(a) Ut eo melius intelligatur quomodo Principium sufficientis rationis sit accipiendum, sequentia Celeberr. BULFFINGERI verba adducere, e re esse duximus. *Ipsium principium sufficientis rationis placet explicare plenius, quoniam id occasionem videtur fecisse variis diversorum consequentiis, & conjecturis. Ratio est id, ex quo intelligi potest quare alterum sit, vel quod responsum praestet intelligibilem, ad quaestionem quare res sit potius quam non sit, sit hoc modo non alio? sufficiens illa est, quousque nil est in re, quod non ex ea ratione intelligi possit, quare sit? atque sic est sufficiens ad hoc, ut res vel actio possit fieri, si ad possibilitatem rei vel actionis non plus requiritur quam adest. Est sufficiens ad hoc ut fiat, si ad actualitatem rei praestandam, non plus requiritur quam adest. Est sufficiens ad hoc ut fieri debeat, si ad inducendam obligationem non plus requiritur quam adest. Est sufficiens ad hoc ut liceat vel non liceat, si ad evitandum in actione, aut inducendum per actionem reatum non plus requiritur quam adest; & sic porro. Quid sit tò requiri haurias ex definitione generali rationis sufficientis modo enarrata. Nihil enim requiritur amplius in causa vel principio, si nihil in principiato fuerit quin id intelligi possit ex principio. Ne putes sumi heic in definitionem quod definiendum est, memineris hic principium & principiatum non appellari sensu formali sed subjectivo. Accipe differentiam inter rationem & causam ex Wolff. §. 29. Met. Ger. Wenn ein ding A. etwas in sich enthält daraus man verstehen kan, warum B ist, B. mag entweder etwas in A oder auffer A sein: so nennet man dasjenige*

nige, was in *A* anzutreffen ist, den Grund von *B*; *A* selbst heißet die Ursache, und von *B*. sagt man, es sei in *A* Begründet. Nämlich der Grund ist dasjenige, wodurch man verstehen kan, warum etwas ist, und die Ursache ist ein Ding, welches den Grund von einem andern in sich enthält. Ich wil es durch ein Exempel erleutern. Wen ich nachforsche, wie es zugegangen, daß im Garten alles geschwinde gewachsen, und finde, das der Wärme der Luft solches zuzuschreiben, so ist die Wärme der Grund des geschwinden Wachstums, und die Luft, in so weit Warm ist, die Ursache: der geschwinde Nachsthum aber ist in der warmen Luft begründet. Man kan auch die Wärme eine ursache nennen, und ihre Wirkung in das Gewächse den Grund. Wiesderum wan ich ausgehen wil, weil schönes Wetter ist, so ist die vorstellung des schönen Wetters der Grund von meinem Wollen, und die Seele, so sich die Vorstellung macht, die Ursache des Wollens; die Schönheit des Wetters ist der Grund von meinem Ausgehen, und das Wetter, in so weit es schöne ist, eine Ursache meines Ausgehens.

§. III.

DE essentiis vero necessitate in orbe litterario vehementer litigatum esse, varia eruditorum scripta testantur. *scholastici*, æternas veritates & essentias defendendo eousque progressi dicuntur, ut eas extra Deum fuisse ab æterno positas admitterent affererentq;. Quod ipsum *Scholasticorum* dogma & veritatum æternarum independentiam ab ente infinito, dum refelleret rejiceretque *CARISIUS*, in aliud prolapsus fuisse judicatur extremum; dum essentias rerum stavit quidem dependentes, sed tamen a sola volun-

voluntate & libertate derivandas esse, adeoque eas
 arbitrarias asseruit. Hujus sententiæ acerrimus de-
 defensor fuit *POIRETUS*, qui in tantum cuncta ab ar-
 bitrio divino dependere asserit, ut etiam rerum qua-
 rumcunque particularium & eventuum singularium
 ideis & cognitione se privare & exuere posset Deus,
 si ita voluntatis esset beneplacitum. (b) Alii rursus
 ut hæc duo nominata evitarent extrema, mediam
 elegerunt & ingressi sunt viam, asserendo essentias
 rerum esse quidem necessarias, non tamen independen-
 ter a summo ente. Cum enim possibile tale sit,
 cujus oppositum impossibile, propter contradic-
 tionem simul esse nequeat, id non ex fonte & princi-
 pio arbitrario sed necessario, derivandum judicant.
 Accedit quod cum omne possibile requirat existentiam
 virium, quæ id præstare possunt, tales vero
 cum divinæ sint æque necessariae, sequitur dicunt,
 quod omne possibile sit necessario tale, adeoque &
 essentiæ non arbitrariæ sed pariter necessariae.

(b) Ne existimes aliquid heic tribui viro nomi-
 nato ingeniosissimo præter mentem illius, ver-
 ba ita sonantia habe. *Oeconom. D. l. I. c. 5. §. IV. &
 V. pag. 49. & 50. Si circumstantias omnes omniaque even-
 ta particularia rerum futurarum & possibilium, antequam
 eveniant, in divino conceptu suo habere velit, fiet ita: ut
 si ea illo demum tempore, quo geruntur ibidem esse velit,
 & hoc erit: si vero ideam status ac regiminis rerum, ut
 ut existentium in divino conceptu suo absolute habere nolit,
 ibidem eam non habebit, sed sciet quidem, res existere, de
 ceteris*

acteris autem omnibus cogitare non voles. Et ita quidem, credo, blasphemie horrores & abominaciones inferni ac damnatorum, conceptum Dei in felicitate arbitraria, cum beatissis exsultantis non attingens.

§. IV.

UNaquæque res in particularibus & specialibus suis considerata circumstantiis, positionem simul & negationem uno & eodem respectu admittere non potest, ob rationem quæ in principio modo laudato continetur. In superioribus quoque jam diximus, necessitatem, essentialium & existentiarum simul, sed harum tantum ob additam hypothesein, talem esse, quæ contrarium respuit; quia unicitati adstricta & alligata est; Sequitur inde, quod entia quæcunque libera & mechanica, eo ipso etiam quo contingunt sunt & actualiter existunt, certo tamen & sibi unice proprio sint & existant necesse est modo. Hinc continguntia habere veritatem determinatam & individualiter existere, commune iudicium est. Istam vero ob causam, quod continguntia in actualitate sua sive existentia, determinato se habeant modo, talia tamen esse non desinunt; sicut enim inter id quod necessitat & cogit, & quod nullam ne sudentem quidem secum habet rationem, medium iuste admitti potest & debet; ita etiam ex determinatione, nec in agentibus liberis nec mechanicis aliqua absoluta sequitur necessitas. Hoc de quo agitur determinatum, non tantum ad existentias sed

& essentias applicari potest, & explicatum convenienter naturæ utriusque semper ad notionem unitatis, sive ad alterutrum oppositorum ducit; non tamen ut dictum ipsam contingentiam & libertatem evertit.

§. V.

Sicut verum est, manifestandæ suæ majestatis causa Deum præsentem hanc rerum condidisse seriem, (quæ majestas non tantum per effecta quæ testantur de potentisæ eminentia, verum etiam per sapientiam, quæ est scientia ita' cuncta combinandi & ordinandi, ut unum fiat medium consequendi aliud, nota sit & aperta) verum quoque sit oportet, dari nexum rerum, qui naturæ illarum & differentiis conveniens est, universalem, (r) sive respectum erga se invicem talem, ut in uno contineatur semper ratio alterius, sive ex eo intelligi queat quare sit aliud; vel quod universaliter loquendo, cuncta ratione spatii & temporis inter se connexa sint. Hinc opiniones istorum, qui systema mandanum & corporeum, tanta laborare infirmitate asserunt, ut nisi manum experiretur emendatricem immediatam divinam, a suo pristino perfectionis statu plane deficeret & deturbaretur, ut divinæ sapientiæ & potentisæ minus convenientes, rejici solent: quæ tamen non ita sunt accipienda, ac si providentiæ Divinæ quidquam detrahatur. Nexum, quem alii concatenationem duriore vocabulo sed eodem sensu dixerunt, dari adeo apertum & evidens videtur, ut negari nequeat; si enim aliquis rite pensaverit,

B

quomo.

8
quomodo res quæcunque a suis producuntur caussis, mutationes & effectus omnes, antecedaneas suas habent rationes & fundamenta quare; facile constabit, istiusmodi dependentiam unius ex alio & relationem rerum ad se invicem, veram & palpabilem esse. Ex ipsis quoque phantasiæ patet regulis, quomodo ex antecedaneis ideis subsequentes proveniant & gignantur repræsentationes, hæc rursus variorum appetituum in se contineant rationem, & contra Anima enim cum vi activa radicali gaudeat, pro sufficienti ratione suarum operationum nonnunquam & solam occasionem agnoscit. Inter extensa & corporea dari talem, de quo sermo, nexum, eo certius validiusque asseri potest, quo magis mechanismus & leges motus universales, alias naturæ appellatæ, id ostendunt & demonstrant: phænomena enim & mutationes corporum, ex antecedaneis suis dependent caussis effectivis: cuncta quoque ita disposita esse cernuntur, ut unum sit propter aliud, unde dependentia rerum a causis finalibus & efficientibus, sive utraqve talis consideratio, de rei veritate dubitare non permittit. Posterius ostensum a *VOLFFIO*, in libro cui titulus, *Von den Wirkungen der Natur*: Prius in alio, qui interibitur: *von den Absichten der Natürlichen Dingen*. Inter modificationes vero & operationes partium in homine essentialium, animæ & corporis, cum summam concomitantiam & harmoniam animadverterent philosophi, eandem ut modo intelligibili explicarent, diversas ingressi sunt vias & varios excogitarunt modos

dos. Nonnulli spiritibus omnibus & animæ humanæ vim movendi corpora tribuerunt, & *systema quod influxus* audit, adiniserunt. Alii rursus, cunctis, ut putant, rite pensitatis & natura extensi & simplicis finiti juste examinata, nec spiritibus vim agendi in corpora adscribendam, nec *systema Influxus*, ut in experientia plus aliis non fundatum, admittendum judicarunt; quare ad explicandam unionem corpus inter & animam *Harmoniam Preestabilitam* excogitarunt. Inde nexus spiritus inter & corpora influxum si approbaveris *effectivus*, si vero harmoniam, *exigitivus*; de qua exigitiva relatione corpus inter & spiritus, cum rotunde mentem suam aperiant **LEIBNITZIUS** & **BULFFINGERUS** lectorem ad eos remittimus.

(c) Ne vero quis existimet, per nexum universalem rerum, qui in Principio supra exposito rationis sufficientis puta, suas habet radices, concatenationem quandam ineluctabilem, statui, adducenda sunt sequentia. Der ganze Verstand Von der Verknüpfung der Dinge mit einander ist demnach dieser, daß alles in der Welt mit raison gegeneinander geordnet sey, und mit raison einen Veränderung auff die andere folge: das ist: Es seye allezeit etwas zu finden, daraus sich verstehen läset: Warum eines neben dem andern zugleich ist, und wie die Veränderung einer Sache erfolget, oder sie aus einem Zustande in den andern komt. Ita Wolff. in annot. ad met. Germ. S. 176.

Nexum definimus per illam rerum ad se invicem relationem, vi cuius altera continet rationem sufficientem alterius. Qui igitur de natura rationis sufficientis & ejus influxu edoctus est, ille naturam nexus

rerum simul cognitam habet. Nimirum illa mutuo connexa sunt, quorum unum ex altero intelligitur. Connexus est, e. g. status presens anima & futurus, quoniam ad quaestionem quare haec anima fruatur beatitudine, illa cruciatibus afficiatur? etiam in aeternitate haec dabitur legitima responsio, quoniam haec admisit in sua cum corpore vita gratiam, repudiavit altera. Connexus est status telluris cum sole, quoniam ratio caloris terrae & vegetationis plantarum est in sole. Bülsing, in Diluc. philos. Sect. II. cap. II. §. 144.

§. VI.

CUM autem essentiae rerum dicantur esse necessariae, juxta quoque approbetur, nexus rerum, modo antea exposito intelligendus, universalis: videndum, annon exinde sequatur destructio omnimoda contingentiae, & quod approbetur fatalitas & spinozismus? Notum est, sub nomine spinozismi venire dogma, quod omnes res & mutationes rerum ex inevitabili unius ex altera dependentia provenire & profluere, asserit, & cuncta tam in prima constitutione quam consecutione, absolute necessaria fuisse docet. Sed cum essentiae rerum, ab iis qui eas necessarias asserunt, dicantur consistere in possibilitate absolute tali & intrinseca, non vero in ea, quae respective talis esse dicitur, & simul existentiam rei live actualitatem includit: (posteriori enim in sensu fati defensores omnes possibile accipiunt, priori vero, qui posita essentiae necessitate, existentiarum contingentiam servant) nihil quoque exinde fatalitatis sequitur. Ut enim juste negatur, omnia possibilea esse actualia, ita

ita ab essentiæ ad existentiaë necessitatem male concluditur. In agentibus mechanicis cum cuncta juxta leges motuum universales fiant, concedendum quoque est, necessitatem ibi esse naturæ & hypotheticam, quæ eo minus pro fatalitate Stoica venditari debet, quo certius demonstrari potest, res finitas sive existentias, vel plane non vel aliter potuisse produci, & sæpissime postea variatas mutatasque fuisse. Miracula enim strictè talia, uti ens a natura finita distinctum & independens, pro suo effectivo & productivo agnoscunt principio; ita, quoque possible sunt. Cum vero historia testentur, istiusmodi effectus naturæ ordinem superantes productos fuisse, contingentiam quoque rerum modo antea dicto connexarum, ob oculos ponunt.

§. VII.

SED, quoniam nil sine sufficienti ratione fieri dictum nexus quoque rerum universalis explicatus & approbatus est, videndum ulterius, annon hæc talia cum libertatis summo dicantur detrimento? Verum est, quod si agentia intelligentia, nullam nobiliorem possiderent contingentiam, quam entia mechanica, hoc est, si ut rotæ horologii, per motuum leges, suas ederent & efficerent volitiones, certe libertatis parum aut nihil apud ea reperiretur. Sed asserere velle, actus animæ vel præsentis vel futuros, non habere rationes suas antecedaneas quare fiant potius quam non, idem est ac contra sanam rationem argumentari; ordo enim actionum in mente talis est, ut ex factis boni vel mali repræsentationibus volitiones iis respon-

respondentes oriantur & excitentur : quæ volitiones semper sibi conjunctum habent liberum arbitrium, quod se sine necessitate & coactione determinat. Nec ad formale libertatis requiritur, ut actio sine motivo omni, sive respectu boni & mali suscipiatur. Cum igitur principium sufficientis rationis, certitudinem tantum, non vero fatalitatem & necessitatem ex se gignat, libertatem quoque intactam & inviolatam relinquit. Si enim aliter res se haberet, sequeretur, quod qui summas & justissimas haberet, rationes, ad id quod ageret, nulla, qui vero minimas, summa gauderet libertate.

§. VIII.

Observata rite ratione formali contingentiae & fecunditate principii rationis sufficientis, haud difficile est de toto systemate mundano ostendere, quod in se suæ existentiae nullam habeat rationem, adeoque contingens sive mutabile sit. Si enim ipsas naturæ seu motus leges rite examinaverimus, etiam in istis nullam absolutam reperiri apparebit necessitatem. Porro, quoniam totum systema mundanum, variis est obnoxium mutationibus & vicissitudinibus, & eidem, esse hoc vel alio quocunque modo non repugnat, in numerum igitur non necessariorum sed contingentium referendum esse patet. Omnes vero res contingentes cum sint mutabiles, ideo quoque suæ existentiae in se ipsis rationem habere nequeunt; unde sequitur quod admittendum sit ens
di-

distinctum a toto universo, in quo omnes aliæ res
 existentia suæ possident & habent rationes.

§. IX.

DE validitate argumentorum ad demonstrandam
 existentiam divinam contra Atheos, vehementer
 non ita pridem pugnatum fuisse inter eruditos,
 neminem, nisi qui controversiæ *VOLFIIUM* inter &
BUDDEIUM, hanc circa materiam agitata, nullam ha-
 bet notitiam, fugit. Prior argumentum a conting-
 entia rerum deductum, ut optimum commen-
 davit, Posterior & reliqua plura ejusdem validitatis
 esse asseruit & propugnavit. *CARTESIUS* ab idea entis
 perfectissimi, menti humanæ indita, ad ejus exi-
 stentiam argumentatus est, atque ita dari ens infini-
 tum, a priori demonstrare voluit. Quæ methodus
 arguendi hoc in puncto, a multis rejicitur & impro-
 batur plane, contra ab aliis, si defectus ejus fuerint
 compensari & argumentum emendatum, admittitur.
 Modi demonstrandi Deum a posteriori varii & multi
 excogitati sunt, & adhiberi solent, de plerisque iis
 id asseri potest, quod in argumento quod contingentia
 audit, fundentur.

S. D. G.



